

Ackrity:  
Schediasma  
de vi conve-  
tioneis contra  
fidei committit  
sum familiæ





52

SCHEDIASMA

DE

# VI CONVENTIONIS

CONTRA

## FIDEICOMMISSVM FAMILIAE

AVTORE

FRIDER. AVGVSTO CHRISTOPHORO

AB VCHTRITZ

E Q U I T . L V S A T . S V P E R .

Kf 2139

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.

ALBENSTEIN

180

AL CONVENTIONIS

CARTA

MVZIUM COMITATU



DOMINIS  
GENEROSSIMIS  
AD  
ORPHANORVM  
PIAM CVRAM  
IN  
CIRCVLO BVDISSINENSI  
LVSATIAE SVPERIORIS  
DEPVTATIS  
BENE MERENTIBVS  
MAECENATIBVS OPTIMIS

HOCCE SCHEDIASMA

STUDII ACADEMICI

DOCUMENTVM

PIETATIS ET GRATITUDINIS

MONUMENTVM

D. D. D.

CIRCAEADUSSINNISI

LAZIAE SALUTIS

DEPATATIS

FRIDER. AVGUSTVS CHRISTOPHORVS

AB VCHTRITZ,



DE  
VI CONVENTIONIS  
CONTRA  
FIDEICOMMISSVM  
FAMILIAE.

§. I.

I  
nter eas liberalitates, quas moribundus de morte cogitans rebus suis familiae et posteris bene prospecturus et quae testamento et codicillis relinqui possunt, notari merentur *fideicomissa familiae*. Antiquitas Romana, ante Legem Voconiam omnia fideicomissa plane ignorauit, neque adfuisse tunc causa videtur, quare vel inuenta vel usu recepta



cepta fuerint, atque praeter *legata* alia liberalitas testantium vix videtur superfluisse, praeterquam summa illa liberalitas, quae in heredis institutione deprehendebatur. At inuenta demum Fideicommissa, et si dicendum, quod res est, inuenta primum in fraudem Legis. Cum enim Lex Voconia, quam illustrauit erudito libello P.ERIZONIVS et praeter eum Abrah. WIELING in *Le&t. Iur. Civil.* prohiberet, quominus *Virgini vel mulieri ultra certam quantitatem legge definitam testamento relinquetur*; euertendae legis studium in Romanis ciibus exortum, originem et causam dedit inueniendis fideicommissis *uniuersalibus*. Pater enim, cui lex necessitatem imponeret, sua magis bona agnato vel adeo extraneo relinquendi, si filium non haberet, sed filiam vel filias, ut fraudem legi faceret, amicum eligebat, in quem omnem reposuerat fiduciam, cum coque conuechiebat, se testamento eundem heredem scripturum, ea tamen praestita promissione, heredem scriptum bona integra adita hereditate filiabus testatoris restituturum. Quod vero in hoc ipso negotio, quo legi vere fraus fiebat, nulla esset civilis obligatio neque tunc esse posset, restitutio illa hereditatis *fidei* tantum heredis *commissa* videbatur, in quem fiduciam suam collocauerat testator, qui exinde *fiduciarius* vocabatur. Post sub *Augusto* inuenta altera fideicommissorum species a *Lentulo Africae Praefecto*, videlicet *singularium* seu *particularium*. Cum enim literas dedisset ad heredes, in quibus, quae praestari amplius darique ab illis vellet, rogasset, quaestio orta est, an heredes praestare ea, dareque teneantur, et an his, quae per epistolas vel codicillos here-

heredum fideicommissa essent, inesset obligatio. Consultus *Toga* ICtus respondit *optimo Iure* seruari ea fidei heredis commissa posse. Optimum Ius stricto mihi videtur oppositum, stricto vero Iure opponebatur aequitas, quam in suis Edictis sequebatur Praetor vel alias magistratus, hinc optimum Ius nullum aliud, quam honorarium, seu quod idem, fideicommissa consulum Edictis obligandi vim obtinuere, quibus mandato id iniunxerat Augustus, donec fauore fideicommissorum factum, ut Praetor crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, salua tamen consulum iuris dicendi de fideicommissis potestate, qui de maioribus, ut ostendit *CIVIACIVS Observ. Libr. XXI. cap. 34.* summis ius dixerre, cum de fideicommissis minoris summae Praetoribus fideicommissariis cognitio et iurisdictio data fuerit. Sed haec nota.

## §. II.

Inuentis vero atque comprobatis ipsis fideicommissis videtur quoque applicata in iis lex illa Xviralis: *Paterfamilias VTI legavit, ITA IVS ESTO* quippe tunc ex animi sui intentione testatores fideicommissis modos atque conditio-nes posuere. Inde quoque ex illa testandi, legandi, fideicommittendi libertate orta demum sunt *fideicommissa familiae*. Haec vero describuntur, quod non in gratiam alicuius personae singularis, sed integrae familiae constituantur. Non ergo is, cui primum ille fundus vel res ex familia per fidei commissum desertur, solum ius in eo perfectum obtinet, verum et omnes, qui ex illa familia oriundi, adeo illi, qui



qui nondum nati, sed aliquando nascituri sunt. Sed orta est quaestio, an, quod fundi alienationem testamento prohibuerit testator, inde statim oriatur fideicommissum familiae. Decisa est olim haec quaestio a SEVERO et ANTONINO Imperatoribus teste MARCIANO in L. 114. §. 14. ff. de Legat. I. Verba sunt haec: *Diui Seuerus et Antoninus rescriperant eos, qui testamento vetant QVID ALIENARI, nec causam exprimunt, propter quam id fieri velint, nisi inueniuntur persona, cuius respectu hoc a testatore depositum est, nullius esse momenti scripturam: quasi nudum praeceptum reliquerint: quia talem legem testamento non possunt dicere.* Neque aliam sententiam defendit SCAEVOLA in L. 38. §. 4. ff. de Legat. III. Julius Agrippa, inquit, primipilaris suo testamento cavit, ne ullo modo reliquias eius et praedium suburbanum aut domum maiorem heres eius pigneraret, aut ullo modo alienareret. *Filia eius heres scripta heredem reliquit suam neptem primipilaris, quae easdem res diu possedit, et decedens extraneos instituit heredes; quaesitum est, an ea praedia extraneus heres haberet: an vero ad Iuliam Domnam, quae habuit patrum maiorem Iulium Agrippam pertinerent.* Respondi, cum hoc NVDVM PRAECEPTVM est, nihil proponi contra voluntatem defuncti factum, quo minus ad heredes pertinerent. Si itaque in gratiam personae vel familiae illa alienandi licentia prohibetur, recte tunc testatoris voluntatem in fideicommisso familiae esse obseruandam, patet ex MARCIANI in c. l. verbis sequentibus: *Quodsi liberis aut posteris, aut libertis aut heredibus, aut aliis quibusdam personis consulentes, eiusmodi voluntatem significarent: eam seruandam esse.*

### §. III.

## §. III.

Si itaque fundus familiae relictus eiusque alienatio prohibita, et de successione et de alienandi licentia adhuc quæstiones controuersæ oriuntur. Et primum de successione videndum. Adfirmant successionis ordinem, quem in aliis comprobant leges, seruandum esse, nisi ipse testator ordinem successionis in testamento praescripserit. Sed haec non omnino vera est sententia. Nam cum ad familiam iumentum referantur, quibus iura agnationis competunt, feminæ, quae in ordine successionis non excluduntur, proprie non admittuntur, cuius iuris rationem reddit STRYKIVS in Traet. de Success. ab Intestat. Diff. VII. Cap. II. §. 9. quia per illas familiae non conseruantur. Aliter vero erit sentiendum, si familia emortua sit, praeterquam feminam, quae ex ea adhuc superstes, dubitari enim tunc nequit, feminam illam admitti posse ad successionem in fundo illo fideicommissario, quippe tunc evanescit fideicommissum familiae. Ultimus itaque possessor in familia ob cessantem alienationis prohibitionem valide disponit vel inter viuos, vel etiam mortis causa et ultima voluntate. Addo praeterea, si feminæ primum relictum sit fideicommissum addita prohibitione ne alienetur, sed in familia eius maneat, omnino dubitandum non videtur et feminas succedere posse, quippe eo, quod primum feminæ reliquerat, videtur comprobasse successionem feminarum.

## §. IV.

Quod alienationis prohibitionem attinet, cum utique testator testamento suo rebus suis legem dicere pot-

B

est,



est, illicitam tunc esse omnem alienationem, recte statuendum. Confirmat testimonium MARCIANI in cit. L. 114. §. 15. et 16. *Cum pater filio, herede instituto, ex quo ires habuerat nepotes, fideicommissit, NE FVNDVM ALIENARET ET VT IN FAMILIA RELINQUERET; et filius decedens, duos heredes instituit, tertium exheredauit, eum fundum extraneo legauit, Divi Seuerus et Antoninus rescriperunt, verum, non paruisse voluntati defuncti filium.* Sed et si cum duos exheredauit, unum heredum instituit. Fundum extraneo legauit, ut putat Marcellus, posse petere exheredatos fideicommissum. *Quod euenit et si viuus filios emancipasset et postea fundum alienasset.* Eandem sententiam defendit PAPINIANVS in L. 69. §. 3. ff. de Legat. II. scribit: *Fratre herede instituto petit, ne domus alienaretur, sed vt in familia relinqueretur: si non paruerit heres voluntati, sed domum alienauerit, vel extero herede instituto decefferit, omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerunt.* Ex vtraque ergo lege patet, fideicommissum familiae datum et oppositam propterea prohibitionem de non alienando efficere non modo, vt parendum sit voluntati atque arbitrio testatoris et susceptam alienationem nullam esse, verum eos, qui in familia sunt atque ad quos fideicomiissi ius pertinet, fundum illum petere posse, licet extraneo, cui venditus erat, eum teneat, qui ob prohibitum alienationem ius aliquod acquirire perfectum non potuit.

### §. V.

Amittet vero testatoris prohibitio de non alienando vim omnem, si necessitas vrgeat ipsam alienationem. Confirmat hoc MARCIANVS cit. L. 114. in verbis: *Sed haec neque*



neque creditoribus, neque fisco fraudi esse. Nam si heredis, propter testatoris creditores bona venierunt: fortunam communem fidei commissarii quoque sequuntur. Ratio huius iuris manifesta est, nam cum hereditas non computetur, nisi deducto aere alieno. Fideicommissum vero ex hereditate praestetur, sequitur, si bona testatoris aere alieno grauata sint, de iis testatorem in fraudem creditorum nihil testamento statuere potuisse. Quare, licet prohibuerit alienationem fundi testator, si reliqua bona ad aes alienum testatoris soluendum non sufficiant, ex fundo alienato reliquis creditoribus satisfactio praestanda erit, quare prohibitio a testatore effectum habere non potest, neque fideicommissariis ius tribui potest in fundo fideicommissario, in quo alienatio prohibita. Sed recte *Marcianus* loquitur de *creditoribus testatoris*. Facilis itaque est decisio, an possit fideicommissum familiae vendi ob heredis aes alienum. Cum heredi alienatio ex testamento prohibita sit, adeundo vero hereditatem, testamentum tanquam legem sibi heredi atque fideicommissariis scriptam agnoscat; a qua legis privatae dispositione, ea semel agnita, heres recedere nequit, sequitur, contrahendo aes alienum non posse vlla ratione creditoribus heredis ius aliquod concedi in fundo fideicommissario. Hinc, si suis creditoribus in solutum dare velit fundum fideicommissarium, sibi in eo ius acquirere non possunt creditores, cum ob prohibitam alienationem aeri alieno obligari nec expresse, nec tacite poterat. Facta ergo alienatione reuocari posse fideicommissum dubitari nequit.

## §. VI.

Sed iam ex hoc iure enata est noua controuersia, an, si de facto heres fideicommissum familiae alienauerit, statim reuocari possit, an demum extincto heredis jure, scilicet, si mortuus fuerit? Communis opinio est, statim reuocari posse ac retractari ab eo, qui ex susceppta alienatione fundum fideicommissarum acquisitum possidet, ob id, quod alienatio ipso iure sit nulla. Probationem petunt ex L. 69. §. 3. ff. de Legat. II. ex verbis: *omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerunt.* Sed sane haec ex his verbis non probarem, adfirmsat quidem PAPINIANVS, posse fideicommissum peti, sed non adfirmsat, statim facta alienatione peti posse. Quare BOEHMERVS in *Introduct. in Ius Digestor.* L. XXXVI, Tit. 1. §. 17. de vulgaris huius opinionis veritate dubitat, et mortem expectari debere censet alienantis, quippe ante eius mortem fideicommissariis ius nondum competere poterat. Sed non nego, PAPINIANVM cit. L. 69. §. 1. quodammodo dissentire, saltem ita videtur dissentire. Scribit: *Praedium, quod nomine familie relinquitur: si non voluntaria facta sit alienatio, sed bona heredis ve-*neant: tamdiu emtor retainere debet, quam diu debitor haberet bonis non venditis: posse mortem eius non habiturus quod exter heres praestare cogeretur. Verba: NON VOLVNTARIA alienatio, i. e. necessaria, me in eam deducunt opinionem, ut BOEHMERI sententiae subscribam, si ob aes alienum bona heredis vendita sint, inque iis bonis simul fundus fideicommissarius, cum non exakte liber adsit heredis consensus, qui quidem in aes alienum contractum consense-

rat,

rat, non aequa in alienationem fundi, quae necessaria est. At cum expresse id adfirmare videatur de necessaria alienatione ICtus et mortis tempus expectare iubeat antequam alienatio reuocetur; putem, firmam stare communem opinionem si VOLVNTARIA sit alienatio, quippe tunc sponte alienando suo iuri renunciasse videtur, quod in fideicommisso habebat, emtor destitutus iure acquirendi ob prohibitam alienationem, hinc statim à fidei commissariis reuocari posse, ducto argumento ab oppositis.

### §. VII.

At iam videndum est, quae vis sit conuentioni in fideicommisso familiae: Scilicet prohibet testator alienationem fideicommissi in testamento in commodum familie, vt apud familiam permaneat fundus fideicommissarius; hinc oritur quaestio: an membra familiae interposita conuentione efficere queant, vt alienatio illa prohibita permitta fiat? MARCIANVS in L. n<sup>o</sup> 4. §. 14. de Legat. I. naturam veri fideicommissi in hoc maxime quaerit, quod liberis aut posteris aut libertis aut heredibus consulere cupiat; hinc poterit forsitan duci argumentum, quod illa fideicommissi alienationis prohibitio conuentione indistincte tolli possit. Certum enim est, quemque posse fauori pro se introducendo valide renunciare. Hinc consequi posset, si deicommissarios fauori in fideicommisso pro se introducendo valide quoque posse renunciare, eoque ipsam alienationem legitime suscipere. Sed nondum omnino huic opinioni subscriberem. Est quidem verum, in fidei com-

missis sauroem interuenire ratione eorum, ad quos successio in fideicommisso peruenit: sed obseruandum quoque est, fideicommissum statui testamento. Jam testamentum lex est familiae, quae, si semel agnoscat, singulos quoque heredes atque, quibus liberalitas quaedam ex illo testamento obuenit, perfecte obligat, neque permittit ius, vt ab ea recedant. Quare si conueniant inter se pro arbitrio ipsi, ad quos fideicommissi successio pertinet, tollent ipsa hac conuentione legem, quam tamen sancte custodire deberent. Frustra hinc ipsem testator suis rebus legem posuisset, neque amplius vlla morientis ultima voluntas amplius sancta foret, quin pro arbitrio conuentione interuerteretur. Cedo quidem, ante agnatum testamentum liberum esse, an heres velit agnoscere testamentum adeundo hereditatem. Sed, si semel adita sit, agnoscit heres ultimam voluntatem, quae in aliis rebus seruanda atque adimplenda, quidni et in prohibita alienatione fideicommissi familiae.

### §. VIII.

Quamuis vero haec in se vera esse videntur, tamen admodum difficilem redderet fideicommissariorum conditio-  
nen. Nam negari nequit, alienationem fideicommissi  
familiae permitti ipsis legibus, si ab eo acquiratur, ad quem  
successionis ordine deuolueretur ipsum fideicommissum  
familiae. Hac enim alienatione non interuertitur ipsis  
defuncti testatoris ultima voluntas, quippe volebat, vt in  
familia permaneat. Sic ergo alienatione interueniente ad  
eum venit, quem praeterea ordo in successione tangeret,  
manet

manet in familia testatoris et sic contra ipsius voluntatem non agitur testatoris. Dein in omni vltima voluntate interuenit liberalitas quaedam defuncti, quae perfecta non est, nisi accipiatur ab altero. Quapropter etiam omne legatum omne fideicommissum sponte potest repudiari antequam acceptatum sit. Quapropter concludo: si omnes, qui membra sunt familiae, repudiant interposita conventione fideicommissi familiae acquisitionem et acceptationem futuram, dummodo nondum acceptauerint et agnoverint vltimam testatoris voluntatem, is, qui possidet fideicommissum familiae, hac conventione interposita, tanquam vltimus considerandus erit in familia, cum praeter eum nemo adsit, qui acquirere possit fidei commissum familiae, cum reliqui omnes ante agnitionem factam repudiauerint fideicommissum; dubitari non potest, alienationem fideicommissi familiae repte suscipi posse.

## §. IX.

Quapropter, si vel omnia membra agnouerint testatoris vltimam voluntatem, amplius conventioni vis non erit, quippe ex testatoris lege lata tunc tenentur seruare fideicommissum familiae. Neque aliter sentiendum est, si vnum contradicat familiae membrum, ad quod successio peruentura est, vel saltem ante agnitam testatoris voluntatem fideicommissio in euentum non renunciauerit vel potius non repudiauerit; alienatio illicita erit, quippe nemo suo iure inuitus priuandus est, imo iure is, qui non consenserat, vel consentire non poterat, ob id, quod semel testatoris voluntatem agnouerat, fideicommissum vindicare poterit



rit a quocunque tertio possessore fideicommissio de facto alienato.

### §. X.

Sufficit vero, si in testamento rite condito a testatore alienatio prohibita sit, neque aliud, quidquam requiritur, vt, si alienatio facta sit contra prohibitionem, res fideicommissaria nihilominus vindicari perique a tertio eoque extra-neo possessore possit. Vbi ergo Ius commune obseruatur, ita iuris esse arbitror. Interdum vero Prouincialia iura alia praeterea requirunt, quae alienationis causam adhuc diffi-ciliorem reddunt. Sic in Saxonia Elecotorali ORDIN. PROC. SAX. RECOGNIT. Tit. XLV. §. 7. expresse dispositum: Nachdem wir auch vermerket, daß aus denen so genannten Fideicommissis familiae, wenn solche auf bloße pri-nat dispositiones oder pacta sich gegründet, viele Irrungen und Weitläufigkeiten nicht zu geringen Nachtheil derer Creditorum entstanden; so sezen, ordnen und wollen wir, daß in Zukunft vergleichene fideicomissa, woferne selbige nicht bey Lehn-gütern, von dem Lehnsherrn, bey Erbstücken aber von den Ge-richtsherrn, damit es zu jedermann's Wissenschaft gelangen kön-ne, confirmiret und Consens darüber ertheilt worden, wieder die Creditores und Possessores tertios von keiner Gültigkeit, dieses auch auf diejenigen fideicomissa, so ohne Confirmation und Consens allbereit constituiret, wo nicht binnen Sechs-Zahren vergleichen annehm ausgebracht wird, erstrecket seyn solle.

T A N T V M .

facto

atore

r, vt,

amis-

xtra-

r, ita

alia

diffi-

DIN.

reffe

n so

pri-

und

rum

anft

agü-

Ge-

dn-

der

leit,

on

hs-

yn

l

7

7

7

7

7

7

K 21396

ULB Halle  
006 663 621

3






**Farbkarte #13**

B.I.G.  
Black  
White  
3/Color

Centimetres  
Inches



HEDIASMA  
DE  
VENTIONIS  
ONTRA  
OMMISSVM  
MILIAE

AVTORE  
TO CHRISTOPHORO  
CHTRITZ  
EVSAT, SVPER.

Kf 2139  
PSIAE  
S R V M P F I S.